



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Syntagma Iuris || Vniversi, Atqve Legvm || Pene Omnivm  
Gentivm, Et || Rervm Pvblicarvm Præcipvarvm,||**

**Grégoire, Pierre**

**Francofurti ad Mœnum, M.D.XCIX.**

**VD16 VD16 G 2999**

30 de Præstimonio, obitu, & obituariis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97739](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97739)

beneficiis, que in curia Romana vacare dicuntur, alii namque sunt commensales, alii honoris huius titulo tantum donati, alii cum stipendiis, alii sine illis. Commensales in curia Romana tenentur residere, alii nequaquam, *can. vnic. de ver. sig. in Sex.* Capellani vero Papæ erant iurisperiti, qui in officiis diuinis summ. pontif. seruiabant in sua capella, in qua & summ. pontif. sæpe audiebat causas & controuersias, per principes & reges seculi & orbis Christiani, etiam extra negotia fidei delatas ad illum, quæue consistoriales non erant. A quo munere paulatim sum. pont. sese auocantes, cœperunt primum harum controuersiarum audientiam suis capellanis concedere. ex quorum relatione postea iudicabant. ¶ Et ideo qui prius capellani Papæ dicebantur, nunc auditores sacri palatii dicti. Quibus etiam deinceps sum. pont. causarum quoque decisionem suo rescripto concedere. Atque ex more usurpatum subinde, ut fere in omnibus decisio speciali rescripto istis demandetur, *Oulianus Vestrius, lib. 2. in introductionis in actiones aule Rom. c. 17.* ¶ Hodie ideo ordinem hunc constituunt duodecim ex restrictione Sixti 4. ante quem plures. Dicti & illi nunc auditores Rotæ, cuius Rotæ & auditorii decreta pro senatusconsultis habentur: ut ex decisionibus eorum excusis apparet. Plura autem de auditorio Rotæ videto apud Ludouicum Gonesii. in *proemio regularum cancellarie.* ¶ Capellani, qui honoris causa huiusmodi ornantur titulo, vere non sunt capellani Papæ secundum Boerium, *q. 17. nu. 9.* Sic enim princeps aliquibus honorem solum communicat, non autem utilitatem, *renouamus, ut. ut ordinaria prefecti. & c. in authen. coll. 5. tit. 9. & ibi glo. in verbo videtur.*

De Præstimonio, Obitu & Obituariis. Cap. 30.

1 Præstimonium interdum beneficium, aliquando minime.

2 Obitu & obituarius quid.

Accedit ideo capellis præstimonium, seu præstimonia, quæ aliquando beneficii habet formam, si in titulum conferatur: interdum minime, ut si destinatur officio temporali, ut scribit Rebuffus *in tra. de pacif. possessor. nu. 90.* Oldradus *conf. 140. alias 113. incipien. in ecclesia. & consi. 8. incipien. quod processus.* Dominicus *consil. 89.* & Ioan. Franciscus de Patinis in *Apostillis ultimis ad extranagantes Ioan. 22.* Meminit de præstimonis *& c. de concess. preb. in Sexto.* Tunc autem proculdubio beneficia non sunt, cum dantur, stipendiorum & mercedis causa. Et proinde in impetratione beneficiorum, in cuius diplomate exprimi debent etiam beneficia possessa per impetrantem modici valoris, *c. cum adeo 17. & c. ad aures. 8. & cap. ad audientiam. 31. c. postulat. 27. de rescript. ap. Grego.* non tenetur impetrans de præstimoniam in stipendia concessa, mentionem facere, quod beneficium non sit, ut notat Dominicus *ius, in ca. si motu proprio, in vers. benefi. & ibi Dominicus col. 2. vers. sed quid habent, de prebend. in Sex.* & Ioannes Andreas. ¶ Affines ideo quoque capellis & beneficiis sunt obitu: unde obituarii dicti sunt. Quando per legatum, vel fundatione a viuentis facta, bona quædam destinantur orationibus faciendis pro aliquo qui iam obit, vel moriturus est. De quo consulendus Philippus Decius, *consil. 148.* Refert Wolfgang Lazius *lib. 3. Comment. reip. Romæ. c. 11.* Probat illorum Iunif. consulti legatum ea conditione relicto, ut lucerna perpetuo circa sepulcrum accendatur, *l. Mauiæ. 44. de manum. testam. P.* Et conuenitur Symmachus apud Valentinianum, Theodosium & Archadium CCC. pro suorum Deorum cultu: contra Christianos, agros virginibus vestalibus & ministris suorum sacrorum, deficientium voluntate relicto, a fisco tunc retineri. *Symma. ad Valenti. Theodo. & Archad.*

De Operario seu Ædituo sacro. Cap. 31.

1 Operarius seu Ouariers ecclesiarum qui.

2 Quæstoris sacre pecunie.

3 Æditus templorum qui, & eorum munus eod.

4 Ædiles curam refectionis templorum habuerunt. 3. 4. 5. Templorum refectione ad quem pertinet, eod. 3.

5 Relectio loci seruientis, onus est eius, cui debetur seruitiu.

6 Operaria beneficium non est. & num. 6.

Viglus operarios vocat eos, quibus cura operum & fabricæ ecclesiasticæ commissa est: *ouariers & marguilliers.* Quos Plato 6. de legib. vocat quæstiores & allèruatores sacre pecunie,

eosque arbitratu necessarios in singulis templis, qui luctorum agrorumque ipsis dedicatorum, & fructuum conductionumque & locationum domini essent. Aristoteles autem eos videtur nominare ædituos, & sacrarum pecuniarum custodes. *Alia species, inquit Aristo. 6. Politicor. c. si. curationis est circa rem diuinam, seu sacerdotis, & aduni circa templa, ut conferentur que sunt, & erigantur ruinosæ edificia. & cetera omnia quæ pertinent ad diuinum cultum: euenit autem alicubi ut in paruis ciuitatibus curam hanc esse vnam: alibi vero plures separatas a sacerdotio, & esse sacrificulos ædituos, & custodes sacrarum pecuniarum.* ¶ Varro 4. apud Romanos hanc fuisse curam ædilium testatur, *Varro 4. de lingua Latina.* Et inde ædiles dictos, quod ædes sacras & priuatas procurarent. Fuit & cura præsidum prouinciarum prima, ubi in prouincias suas peruenissent, ædes sacras, & opera publica circuire, inspiciendi gratia in sacra testaque essent, & refectione aliqua indigerent, *Vlpia in l. si in aliquam. de offi. procons. P.* Erat permittum olim in lege antiqua sacerdotibus, ex gazophylacio tēpli pecuniam capere, quæ offerebatur pro peccatis: ea tamen lege, ut templum reficerent. Quamobrem legitur regem Israelis Iohan, cum sacerdotes non instaurarent sacra testæ templi, vocasse Ioiadam pontificem & sacerdotes, & dixisse: *Quare non instauratis sacra testæ templi? nolite ergo amplius accipere pecuniam iuxta ordinem vestrum, sed ad instauracionem templi redidite eam.* Et postea sequitur, prohibitos sacerdotes ultra accipere pecunias a populo, & instaurare sacra testæ domus. Et pecuniam postea in gazophylacio delatam cum excreuisset, & inde eductam presentem scriba regis & pontifice numeratam, & datam iuxta numerum atque mensuram in manu eorum, qui præerant commentariis in domo domini, *4. Reg. c. 12.* Aliquando inter Christianos, pontificibus sacerdotiorum vna ex quatuor pars pro fabrica data, *can. quatuor. can. de redditibus. 12. qu. 2. cum simil.* postea præfectis sacerdotis relicta, *can. prius. c. vnic. can. placuit. 10. q. 3.* ut antea docuimus, dum de curionibus seu rectoribus & parochis hoc libro egimus. Equumque visum est, sacerdotes & curiones, qui pro fructuariis in beneficiis habentur, *glo. in c. presenti. de offi. ordinar. in Sexto. in verbo reseruati,* ad modicam refectionem ædium, ex quibus consequuntur fructus, teneri: ut reliquos ædium usufructuarios, *l. usufructu legato. & l. hæcenus. de usufr. P. l. inter usufructuarium, de dam. in felt. P.* ¶ Sic ideo regulariter is, qui ex re seruitem percipit, & eam sibi deberi assent ad refectionem rei seruientis tenetur, non is qui eam debet, *Lessforie. 6. Gallus. & l. sic. relectio. si seruus. vmd. P.* ¶ Quæ ideo de modica refectione intelliguntur, non de maiori. Nam si illa ad curionem pertineret, plerumque fructuum excederet perceptionem & eis cogere fructibus alio quam ad cultum diuinum impensis, officium eiurare & cedere. Quocirca ut curionis onus aliqua ex parte releuetur, recte in ecclesiis seu templis quæ flores sacri ea de causa constituti, qui ex fide pecuniam quærent ex parochorum liberalitate, & eandem fidem in opera ecclesiæ necessaria impenderent. Et alicubi huic necessitati fructus assignati sunt, regendi, & distribuendi per viros delectos, strenuos & prouidos. Proinde res ideo instaurandis templis relicte, & officium quæstorum, & vt dictum est, operaria, inter beneficia non sunt ecclesiastica, *Rebuff. in tra. de Nominacionum. q. 15. num. 18.* Tum etiam quia hoc munus annuum est, vel alterius spatii ad tempus & non perpetuum, & laicis etiam committitur, *Decius in c. decernimus. num. 11. de iur.* Nec in utilitatem quæstoris, sed ecclesiæ solius cui tenetur gestorum reddere rationem, *Rebuffus in proxi. cita. loco, & gl. in cle. 2. de iudi. Quæ aliena sunt a natura beneficii ecclesiastici, quod perpetuum est, c. si. de clerico agro. c. vnic. de capell. mona. in Sex. can. scripsi. can. aliter. can. quamuis triste. 7. q. 1. id est, si consideri potest ab instituto quando vixerit: id enim perpetuum significat ad vitam relatum, l. 1. pro socio. P.* quodve fructus habet in fauorem potissimum clerici inseruientis distributos, *c. 1. & fin. de pecul. cleric. c. nemo de consecra. dist. 1. gl. in d. c. presenti. de offi. ordinar. in Sex.* Inter officia tamen cum redditu aliquo monasteriorum, vel ecclesiarum, quæ regularem vitam abiecerunt: sunt operaria & infirmaria, ut dicunt.

De Collegiatis. Cap. 32.

1 Collegium & collegiati quid.

2 Collegiorum alia licita, alia illicita: & licitorum varia species, profana, ecclesiastica, mixta.

3 Collegia profana artificum.

4 Collegium corpus, societas, assinia, sed diuersa.

5 Saccarii qui Roma.